

Vg
561



OK 201.
OK 201, 28

Vg
561

1523
III, 762

SERENISSIMI AC

POTENTISSIMI REGIS ANGLIE,

Christiane fidei defensoris inuictissimi,

ad illustrissimos ac clarissimos Saxo-

nie principes, de coercenda abi-

gendaq; Lutherana factio-

ne, & Luthero ipso

Epistola.

ITEM ILLUSTRISSIMI PRINCIPI

Ducis Georgii ad eundem Res-

gem rescriptio.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PA-
tri ac Dño. D. Ioāni de Schleinicz Sācte & ingenuę ec-
clesię Misnen. p̄suli dignissimo Hieronim⁹ Emser eius
dē ecclesię p̄sp̄itercū obediētia debita felicitatē indño
sempiternam.

Vllus poterat cū mihi tū vniuerso gregi tuo
Reuerēdissime in Christo pater ac Domine/
tam optatus aduenire nūtius: quam is qui. R.
T. P. ex Italia reducem / saluamque adesse
nunciauit. Quid eīm tam optandū gregi / inter medios lu-
pos dispalanti: q̄ pastoris sui p̄sentia? Eius precipue / q̄
aiam suam pro ouium suarū salute / tam manifestis expo-
nere p̄iculis / domi forisq̄ nō dubitarit. Neq̄ eīm memo-
ria nobis excidit / q̄ indigna ab improbis iā olim passa sit.
R. T. P. dum caulas ouiu / boni pastoris instar / circūiret
ac muniret cōtra lu poz̄ quorundā seuciā: Neq̄ ignari-
sumus hanc ipsam etiā peregrinationē / per tetrico fas al-
piū salebras / per tot itinerū anfractus / tot pestilētissima
loca / & insidias nullo non loco timēdas / nra causa suscep-
tā. Quo fit: vt offitio suo cuiq̄ saluo: meū ipse his literis
nō declarare nō potuerim. Vt eīm. R. T. P. tot tātisq̄ pi-
culis foeliciter supatis / eqdē vehemēter gratulor: Ita mi-
hi ipse gaudeo: q̄ miles in Hebreorū / contra Philisteos
istos / castris / qlis: qlis p̄nte tñ spectanteq̄ Duce ac prin-
cipe meo / alacri⁹ mltō pugnatur⁹ sum / siue Framea / siue
Acinace / seu deniq̄ gladio / nō gladiatorio / sed spiritali:
quod est verbū dei. Vt at Reuerēdissimus dñs meus tot
mōtiū ac pōtiū / terrarū ac fluminū trāsitu defatigat⁹: no-
ua q̄dā geniū suū voluptate p̄fundat: has interim legat
Serenissimi Regis Anglię ad clarissimos nrōs principes
& Illustrissimi Herois mei ducis Georgii ad eūdē epl̄as
lectu haudquaq̄ indignas: Meq̄ Dux militē / pater filiū
ac pastor ouem cōmendatā habeat. Foelicissime valeat
R. T. P. ex. Lipsia. x. kl̄as Iunias āno dñi / M. D. xxiiij.

ILLVSTRISSIMIS DOMINIS FRIDERI-
co dei gratia Duci Saxonie Sacri Romani Imperii prin-
cipi Electori, Lantgrauio Thuringie, & Marchioni Mis-
nie, & Ioanni ac Georgio eadem gratia Ducibus Saxo-
nie, Lantgrauis Thuringie & Marchionibus Misnie &
cognatis amicisq; nostris longe omnium charissimis.

i Illustrissimi atq; Excellentissimi Principes Cla-
rissimi Dñi/cognatiq; nostri longe oim charissi-
mi Sinceram Salutē ac foeliciū successuū as-
siduum augmentum. Si quid fors incideret in quo ad-
moneri me profuerit, pro animi vestri cōperta bonitate/
certissimam spem concepi admonitionis vestre benefici-
um nunq̄ mihi defuturū esse. Quā ego rē, quū animū er-
ga me vestrū ex meo erga vos affectu meciens indubie
mihi persuaferim, ingratus admodum ipse mihi videar
si in ea re que nō ad honorem modo vestrū sed fortunas
quoq; vehemēter spectat ego vicissim vos admonere ne-
glicerē. Quid em̄ ad vos & tam potētes & in Christi cul-
tum tam deuotos principes aut ppius spectare potest aut
debet mouere vehemēcius q̄ cohibende factionis istius
Lutteranæ studium: qua nullā vnquā in terras nocētio-
rem malus inuexit genius, aut que maiorem perniciē sit
illatura propediē, nisi boni piiq; oēs obstiterint, et in pri-
mis qui plurimum et possunt & debent principes. Non
quod Lutherum talem censeam qui viris probis ac pru-
dentibus possit imponere, aut ea que scribit nesciam
esse tam impia vt ea bonorum oim aures exhorreāt. Sed
quod sciam nunq̄ defuturam improborū hoim colluui-
em, quibus ineptissimus quisq; aptissim⁹ est magister, &
vt quicque maxime nascitur absurdum, ita maximo ex-
ceptum plausu summo studio et contentōe propagent.

a ij Nam

Nam quod ad ipsum pertinet Lutherum olim visus est
nec indoctis nec malis hoibus ut multa parum bene ita q̄
dam non omnino male scribere. Verum ita statim p̄fecit
in peius. ut illicet multi perspexerint, quicquid vnq̄ aut
plausibile scripsit aut tollerabile, non alio fecisse consilio
q̄ ut meliorum ostentatione viam pararet peioribus &
p̄lito melle venenum redderet v̄dibilius. Quam rem
successione perpetua nocētiorū semper dogmatū adeo
restitam reddidit: Vt hodie neminē esse vnq̄ putem, cui
scintilla vlla maneat, aut in capite cerebri aut pietatis in
pectore, qui non eum totū cum suis insaniis ex aīo pror
sus eiecerit. Etenim initio coepit utcumq̄ disputare, deinde
irasci, paulo post incendi, postremo furere, iam in eo de
mum libro quo debachatur in me, furias ipsas furore ac
vesania lupare. Quo in libro si quid scripsisset vsq̄ quod
rem videretur attingere, si quid omnino mentis miscuisset
amentie, si quid non absurdum prorsus effluxisset ei, q̄le
vel casu solet mente motis excidere, quāq̄ non admodū
decorū putem. ita me comparare, ut cum hoīe tali publi
ce componar ac disputem, tñ quum rex et propheta Da
uid non censuit indecorū ante archam fœderis nudū sal
tare cum quolibet ipse certe non eram quenq̄ habiturus
indignum quo cum in gratiam religionis pro fidei verita
te differerem. Nunc vero quū nihil ad rem respondeat,
sed rationum loco proferat mera deliria, alios cum illo cō
gredi nec inhortabor nec prohibebo, ipse certe non com
mittam, ut cum insaniēte insaniam. Nam quisquis et
æquus lector & prudēs libellū meū cū illius libro perle
gat, is profecto facile iudicabit iam nunc Lutheri neniis
satis superq̄ responsum esse. Quod si quis illi tā inique
faueat, ut mea verba non sustineat inspicere, aut tam in
signiter instupefcat, ut collatis vtrinq̄ locis non sentiat
rem adhuc

rem adhuc responso non egere, huic nulla vnq̄ respondi-
one satisfecero, nam qui queã illis qui nihil aut velint le-
gere aut possint intelligere præter Lutheri scurrilia iur-
gia! Qui quum interim rem ad istum tractet modũ, mag-
na me affecit voluptate. Siquidem initio cert⁹ eram rem
quidem quam tuendam susceperam, suapte natura esse
inexpugnabilem, aduersus quam nec inferorum portæ
possint preualere, sed imbecillitatis mee conscius, de me
is tamẽ armis dubitabam. At nunc effecit hostis vt orbi
toti inclarescat, alterum, nempe aut ip̄m esse prorsus im-
becillum, aut meas rationes admodum valuisse, quas cõ-
tra, nihil inuenire potuerit preter insulsa scõmata et pror-
sus insana conuitia. Quibus si me cõmoueri putat, egre-
gie profecto fallitur. Etenim quantumuis ille me vocet
insanum, vocat opinor plus millies, nunq̄ tamen tam in-
sanus ero vt egreteram q̄ insanus vocer ab insano: itaq̄
aut mea me fallit opinio, aut isti⁹ in me ac regium nomẽ
contumeliosa spurcicia, vos aut paulo magis q̄ me viri cla-
rissimi cõmouet. Solet enim generosos animos nobiliũ
reuerentia quædam inter se colligare, qua vel in hoste,
quum oderint ac persequantur hominem, personam tñ
honorent ac reuereantur offitium: nec generosus fere q̄
q̄ inuenitur vsq̄ tam inciuilis ac barbarus, qui vel inimici-
tũs vllis adduci possit, vt scurrilem in modum linguæ pe-
tulantia conspergat nobilem: tantum abest vt quisq̄ ea
nobilitate ac generosa virtutis indole, qua mihi persuasi
quemlibet esse vestrum, æquo animo ferat, & principis
& amici nomen vilissimis nebulonibus haberi ludibrio.
Quod meum de vobis iudicium vel is affectus cõfirmat
ip̄rimis, quem in memet ipse sentio. Nam quum ne tan-
tulum quidem me tetigerint omnia, que deblaterauit in
me, tamẽ perq̄ indigne tuli blasphemias illas quibus Au-

a iij gustum

gustum Cæsarem, & ceteros Germanie principes, viru-
lentissima lingua perfudit. Quos omnes in eius ipsius li-
belli frontispitio, quem in meum nomen euomuit, p̄bro
contumeliosissimo proscindit. Vvormatiã inquit ingres-
sus sum, etiam cum scirem mihi violatam esse a Cæsare fi-
dem publicam, nam didicerunt principes Germaniæ,
olim de fide laudatissimæ gentis, nunc in obsequiũ ido-
li Romani, nihil magis q̄ fidem contemnere, in perpetu-
am nationis ignominiam. Hæc tam virulenta in Cæsa-
rem ac principes Germanos conuitia, q̄ falso ac flagitio
se mentiatur os illud impudens ac mendaciorum fons p̄-
ennis, vel illud indicat, quod hodie nisi mentiretur, qui
posset ista mentiri, non esset. Quis em̄ dubitat q̄ facile po-
tuisset meritum reportare supplicium, si Cæsar id voluis-
set ac proceres? sed quis illud non dico Cæsar aut proce-
rum quisq̄, sed vel honesto loco natus Christianus vllus
in animũ potuisset inducere, vt fidem violaret publicã?
vt illum, quãq̄ publice fidei publicum hostem, per perfidiã
tolleret, vt odio (quod aiunt) nocentis, perderet in-
nocentiam? Istud quum non Cæsar promissi obseruan-
tissimus, non procerum aliquis, quibus nihil antiqui⁹ ho-
nore ducitur, non honesto loco natus Christianus quisq̄
(vt qui nihil nõ censeat posthabendũ fidei) potuisset vn-
q̄ cogitare, quis vsq̄ viuít, vere germaneq; germanus qui
ferre possit nebulonẽ fraterculum, que perpetuam infamiam
inurerent nationi Germanice, ea tam impudẽter
q̄ mendacissime non cuiuspiam sui simili germano, sed pro-
ceribus om̄ibus germanie, atq; ipsi quoq; principũ Ger-
manorum principi per conuitia in exprobrare Cæsari?
DEMIROR talia si germani ferant in isto, nos profec-
to quanto magis indignamur, in tales ac tantos princi-
pes tantum licere fraterculo, tanto minus eius mendaciis
mouemur

mouemur: quæ partim Latine quæ legimus, partim Ger-
manice, quod audio furiosus eructat in me. Nam si quid
maledictis illis immiscuit de cuius veritate poterat, quis
quis rem non nosset, aliquid fortasse dubitare, nunc in a-
nimū succurret lectoribus, nihil illius maledicētiæ cre-
dendum cui perpetuum institutum esse videat, de prin-
cipibus prorsus omnibus, atq; ipso etiam Cæsare menti-
endi. Neq; enim istud Luthero nouum est, omnia cōmi-
nisci ac fingere, quibus in odium principum scelerate cō-
citet atq; extimulet populum. In quod negotiū promo-
uendum sceleratorum hominum cateruam iam dudum
contraxit atq; adiunxit sibi. Itaq; nullavñq; factio fuit se-
ditiosa pestilens nepharia, quæ sic religionem omnē tol-
lere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrup-
pere, res publicas omnes euertere machinata sit, vt nunc
ista coniuratio Lutherana, quæ et sacra omnia prophanat,
& prophana contaminat, quæ ita Christum prædicat vt
eius sacramenta conculcet, ita dei buccinat gratiam, vt ar-
bitriū libertatem destruat, ita fidem extollit vt operibus
bonis detrahat, & inuehat peccandi licentiam: ita miseri-
cordiam subleuat, vt iustitiam deprimat, & malorum om-
nium causam inuitabilem non in deum aliquem malū,
quod Manachei saltem cōmentum sunt, sed in vnicum il-
lum vere bonum reiiciat. Que quum ad hunc modū im-
pie diuina tractarit, velut e coelo deiecta serpens virus ef-
fundit in terras, in ecclesia cōmouet discessionem, leges
omnes abrogat, magistratus omnes eneruat, laicos in sa-
cerdotes concitat, Vtroq; aduersus pōtificem, populos
aduersus principes, nec aliud plane molitur, q̄ vt (quod
omen auertant superi) germaniæ primum populus tanq̄
pro libertate bellum indicat proceribus, deinde vt Chri-
stiani contra Christianos spectantib⁹ & iridentib⁹ chri-
sti ho-

sti hostibus pro Christi fide ac religione depungent.
Quod si quis forte non credat ab vno homine nihili tan-
tum vnq̄ periculi nasci posse huic in mentem velim sube-
at Turchica illa rabies, quæ quū nunc tot per terras &
maria se diffundens maximam ac pulcherrimam totius
orbis partē occuparit, a duob⁹ olim nebulonib⁹ sumpsit
initium, vt interim taceam factionem Bohemicam, quæ
& ipsa, quis nescit e q̄ exiguo vermiculo, in q̄ immanem
draconem, haud absq̄ magno germaniæ malo, q̄ prope-
re adoleuit, ita procliuē est, malam segetem nullo deme-
tente crescere, nec vllus vnq̄ socio caruit ad nocendum,
neq̄ tam imbecillus est quisq̄, quin securo possit ac tāq̄
lusurum spectanti lætale vulnus infigere. Que res, quo-
minus contingat, in presente negotio principibus omni-
bus adnitendum est, adnitētur autem, si rem pro leui nō
habeant, nec existiment dumtaxat esse scolasticam: sed
quum et dei res agatur & hominum, dignam intelligant,
cui Christiani principes admoueāt manus: Quod vt nul-
lius non incumbit officio, ita potissimum incumbit cog-
nati charissimi vestro, vt qui & proximi estis periculo, &
facillime (vt ferunt) potestis obruere, si nascenti malo
propere eatur obuiam, priusq̄ & improbi per malitiā, &
simplices per errorem in eum numerum ac robur coalue-
rint, vt facile cohiberi non possint. Cui ego rei prospe-
cturos vos pro vestra prudentia, & in Christi fidem ob-
seruantia non dubito. Nam quū nulla possit hæresis ex-
oriri, quam vos fideles in deum principes non vehemen-
ter auersemi, Lutherianā tamen fieri non potest vt nō
precipuo quodam odio prosequamini. Nam licet homo
vaniloquus non vno loco scribat se, in hoc electū a deo,
vt hanc doctrinam, quam ille solam vocat Euāgelicam,
ad istum, quo cœpit, modum spargeret ac prædicaret in
mundo

mūdo, Vestra tamen prudentia facile depræhendit, nec
illum afferre quicq̄, cur Euangelica verba credatur me-
lius intellexisse q̄ veteres ecclesię sanctę, sanctos docto-
res omnes, quorum iste interpretationes omnes abigit
atq; contemnit pre suis, & multa non ignoratis per ma-
n^o ab apostolis olim tradita vbilibet hæten^o obseruata
perpetuo, quorū iste nihil blasphemus nō exhibilat, Ad
hęc animaduertitis, spiritus hominis arrogans mēdax ac
maledicus q̄ longe absit a spiritu dei sancto, qui solet ele-
ctis suis inspirare veritatē, lenitatem, modestiam, & cū
sui contemptu charitatem ac reuerentiā omnium. Po-
stremo doctrinā eius videtis prætextu p̄dicationis Euā-
gelicæ merā esse vviclyfficam, a quavos cognati charissi-
mi non dubito, toto pectore prorsus abhorrere, vt quam
germani proceres, atq; in primis vt audio p̄genitores ve-
stri vehemēter elaborarēt extinguere, sed quoniam seri-
us aliquāto cœperāt, prorsus exterminare non poterāt:
hætenus tamē profecerūt, vt eam velut p̄niciosam be-
luam intra quosdam Bohemię terminos velut in spelun-
cam clauderent atq; cohiberēt. Quæ quū ita sint dubita-
re p̄fecto non possum sedulo p̄uisuros vos, ne quam ve-
stri maiores beluam occluserunt, ea vestra incuria sic re-
periat exitū, vt per Saxoniam p̄pens totā peruadat ger-
maniam et af flatu noxio inferū eructās ignē, illud spergat
incendiū, quod germani toties voluerunt sanguine suo
restinguere. **QVA IN RE** quanq̄ pro vestra bonita-
te vos tam p̄pensos esse nō ambigo, vt neq; monitore vo-
bis neq; hortatore sit op^o, ego tñ pro meo in vos affectu
me continere nō potui, quin ad volūtatis vestre pronita-
tem, & admonitiones meas & hortationes adiungerem.
Etenim quum nullū principem tam alienū putem, quin
ei mihi videar id officii debere, vt quia in re possim, eius

b honori

honoris cōsulam vobis viri dignissimi, vt id impēsius exhibeam cognati quedā sanguinis inter nos necessitudo cōstringit, quandoquidē intelligo serenissimos maiores vestros e stirpe clarissima regū Anglię pgenitorum meorū esse prognatos. Quę cōmunio stirpis & societas sanguinis sic animum meū afficit erga vos, vt nihil aut cōmodi prorsus aut incommodi vobis possit accidere, quod ego mihi vobiscū non existimem esse cōmune. Quā rem quo magis ac magis mihi p suasi, eo magis ac magis vos & ad monere cogor & hortari, Imo per omnia vos obsecrare sacra, vt q̄ maxime potestis mature detis operam, vt execrabilis ista Lutheri secta coherceat absq̄ cede cuiusq̄ si fieri potest aut sanguine, sin id quo minus possit peruicax obstitit audacia, quoquo modo coherceat, tamē neq̄ pmittatis, vt leges, magistratus, principes, res publicę diuina deniq̄ atq̄ humana omnia sic assuescant paulatim vilescere, conculcari, pteri, vt inualescentibus improbis, mussitantibus bonis, eo tādē res perueniat, vt alteri peruersę malitię, alteri pposterę patientię deum alia quando vindicem atq̄ vltorē habeat, cui periculo si vestra occurrat industria, pacatę patrię discuti scismatis restitute concordie religionis cultę ac perpurgatę & apud homines eximiam laudem & apud superos immortalē gloriam cōsequemini. Valete viri Clarissimi.

LITTERAS HAS ob signaturo mihi venit in memoria Lutherum in suis aduersum me neniis excusare se quo ininus ad reliqua respondeat impediri transferendo Biblio. Visum est igitur hortari vos, vt oīm rerum maxime provideatis, ne id permittatur facere, Nam vt bonū esse non negem, in quavis lingua legi scripturam sacram ita certe periculosum est ex eius versione legi cnius mala fides

la fides fidem facit omnibus, id illi studium esse vt bene
scripta male vertendo peruertat, vt populus ea se legere
putet in scriptura sacra, que vir execrabilis ab execran-
dis hausit hereticis. Iterum Valete viri serenissimi atq; a-
nimo meo longe charissimi, Ex regia nostra Grenuici
die. xx. Ianuarii, Anno domini millesimo quingentesi-
mo vicefimo tertio.

Vester bonus Consanguini-
neus & amicus

Heinricus

ILLVSTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
D. Georgii ducis Saxonie, Lātgrauii Thuringie ac Mar-
chionis Missne ad pcedētem Regiam eplam rescriptio.

SERENISSIMO AC INVICTISSIMO PRIN-
cipi Domino Heinrico Regi Anglie & Frantie ac Dño
Hybernie Domino & Cognato obseruando.

SERENISSIME ET INVICTISSIME REX
domine ac Cognate, cum primis mihi obseruāde Sa-
lutem et vtriusq; regni tam cœlestis quam terreni foelici-
tatem perpetuam et omnem quam possum operam.

Inter multa quæ eo die quo tue celsitudinis nuntius ad-
uenit (aduenit autem pridie Calendas May) allata sunt:
Nihil obtigit neq; optabilius neq; letius serenitatis tuæ
epistola Patruelibus meis & mihi coniūctim adscripta.
Partim quod indicaret memoriā mei residere apud eū
Regem, qui & cōmunis stirpis sanguinisq; societate no-
bis sit iunctus (quæ necessitudo quo est antiquior, hoc

b ij est fa

est familiæ nostræ gloriosior) & potentia, fide, constan-
tia, authoritate, prudētia, iustitia, fortitudine, ceteris de-
ni p̄ tum belli tum pacis artibus Christianorū regū nul-
li sit secundus. Partim quod ea complecteretur, quæ, vt
regem Christianæ concordia studiosum monere deco-
rum est, sic eadē illa summa cū alacritate sequi atq; am-
plecti principū est & noīe & re Christianorū. In quorū
numero quū esse, censerī, p̄seuerareq; pro mea virili stu-
duerim semper, literas tue celsitudinis huc pertinētes nō
sine summa quadā voluptate perlegi. Primū em̄ merito
quereris Lutheranae doctrinae factionem ex paruis ini-
tiis eo creuisse, vt eius studio non tm̄ religionis Christia-
nae sinceritas passim vitietur, verū etiā sacra prophanaq;
omnia veterum instituta quātūuis vel necessariavel ho-
nesta, abrogentur cōculcenturq;. Quæ res haud dubie
in Christiani populi certissimā perniciē exitura videat̄.
Etiā si Luther⁹ Euangelicæ doctrinae titulū ubiq; sediti-
osis suis conatib⁹ p̄te xat, deinde p̄ animi vere regii mag-
nitudine palam testaris, priuatam iniuriā, qua dignitatē
tuam regiā in libello insanis cōuitiis plenissimo leserit te
negligere, grauius aut̄ ferre, quod temerarius iste simi-
lem conuitorū petulantia nec a Cæsare Augusto cete-
risq; Germaniæ heroib⁹ abstinuisse sustinuerit. Qua au-
dacia satis declaret, hoc agere sese, vt omniū ordinum le-
gibus, institutis & diuinis & humanis semel cōtemptis, p̄-
licentiā vulgi ciuilib⁹ & intestinis bellis Christianus or-
bis concutiāt, atq; mutuis cedibus sese conficiat: Tum
mirari te nō parum, si germani principes insignem adeo
natōis suæ ignominia sint p̄pessuri. Postremo, quia ma-
lum hoc nos propius attingit, nō minus amanter quā gra-
uiter hortaris, vt, cū locus adhuc medicinae sit, adolescen-
ti etiā num morbo summa ope obfirmamus, Id quod deo
gratum,

gratum, ecclesie Christianae salutare, nobis etiam ac
nostrae ditioni honorificum sit futurum. Ad haec si plixi-
us fortasse, quam pro regionum negotiorum amplitudine
quantum ad me attinet respondero, veniam hanc dabit Re-
gia tua sublimitas primum meo erga dignitatem tuam stu-
dio, cum qua vlt per literas diu colloqui voluptati mihi est,
deinde rei magnitudini. Nam cum causa haec ardua sit,
& cum mortalium, pene dixerim, omnium periculo con-
iuncta, breui epistola de ea perscribi ad tantum regem vix
potest. Enimvero ut seculis iam aliquot nulla extitit in reli-
gione Christiana factio, quae & honestiori specie primum
imposuerit multis, tum doctis tum cordatis viris, & omni
opinionem celerius serpendo radices suas in cunctas pene
Christianae ditionis regiones propagarit, ita nulla unquam so-
licitudo animum meum magis torisit, quam & eiusdem illi-
us, cum primum suspecta videretur, prohibende, & postea
cum passim grassaretur, cohibendae coercendaeque. Nam
quartus iam agitur annus, quod Ioanni Eccio, Luthero
ac Carolo studio primis pugnae tam infelicis ducibus, de
certis capitibus Lutheranae doctrinae disputandi locum
in vrbe Academiaeque nostra Lipsiensi non alio consilio
dedi, quam ut vtriusque partis rationibus diligenter excu-
sis veritas patesceret, & rebus, Parisiensis Erphordiensisque
Academiae iudiciali auctoritate compositis, omnia con-
tentionum seminaria tollerentur. Sed Lutherus quia, ut rei
pro progressu satis indicauit, in iudicium sententia parum spei
ponebat, & perturbandi omnia libidine ardebat, anteuer-
tit iudicium calculos, & ante victoriam editis variis generis li-
bellis triumphos ostentauit. Et sane si in mea manu fu-
isset, nequaquam libellorum post ab illo conscriptorum editionem
tipographis impune promississem. Statim enim sensi quod ho-

c mo facti-

ma factiosus moliretur, & quorsum se tandem, si non ob-
sisteretur prorepturus esset. Nam cum videret omnibus
bonis hoc vnice in votis esse, vt Ecclesiastici quidam ab-
usus ad pristinae religionis seueritatē corrigerentur, hac
velut persona tectus magno spectatorū plausu in orbis
penevniuersi theatro tragediæ suæ principium dedit, ve-
rum haud ita multo post, cum ea cōuellere tētaret, quæ
nemoueri quidem religione nostra salua tuto possunt,
prudentes viri facile sub pelle ouina latere vulpem dep-
henderunt. Iam vero posteaquā inaudita hominis ipsius
audacia eo profecit, vt non modo mediocres viros erudi-
tionis pariter & integritatis opinione celebres petulantī
calamo inuaderet, verum etiā . quod nemo facile expe-
ctasset in Angliæ regem omnium humanorū ornamen-
torum laude spectatissimū maledicentiæ suæ frenos lax-
aret, certissima tum perfrictæ frontis, tum malitiôsæ mē-
tis argumēta oīb⁹ de se dedit. Ac vero nullis verbis con-
sequi queam, quam impudentis eius libelli scriptiōnem
inique tulerim. Continuo em̄, vt de ea rescivi, & edictis,
ne inditiōne mea vel venderetur, vel legeretur, caui, & in
bibliopolam, qui primus hic verum exposuerat, acerba
carceris multa animaduerti. Nam quanto magis librum
tuum quo sacramētis in ecclesia Christi receptis contra
Lutherum non minori sententiarū grauitate, quam ver-
borum elegantia patrocinaris, probabam, tātō magis se-
ditiosi monachi maledictis veritatis patrociniū retaliari
ægre ferebam. Quantum autē probauerim tuam lucu-
brationem atq; vtilem cunctis censuerim, vel hinc satis li-
quet, quod eam ex Latino sermone in Germanicū trās-
ferri, atq; perditionis meæ Typographos denuo excudi
procuravi, Verum aut esse & hic comperi quod vulgo di-
cunt, nul

cunt, nullum librum tam malū esse, quin aliqua ex parte
profit. Nam cum Lutheri libellus omnibus conuictorum
impudentissimorum generibus, velut vlceribus totus pu
teat, tñ, quia nulla rationum soliditate nititur, satis dec
arat (id quod & serenitas tua scribit) authorem suū præ
ter furiosam quandā maledicentiam quo se tueatur non
habere. Quo loco non possum non prudentiā istam tuā
singularem, & animi moderationē laudare, vt qui cum tā
vili & solidorum argumentorū armis destituto, verū ling
uæ tantum petulantia instructo denuo certamen suscipe
re, neq; regio nomine dignū, neq; ad causam vincendā
necessariū putes. Neq; vero tuā fallit celsitudinē conie
ctura, quā ex animo tuo de Germanis principib⁹ facere
te scribis. Nam vt pro genuina quadam virtute animiq;
regii bonitate maledicta in Regiam excellentiā conge
sta fortiter contemnis. Imperii vero Romani proceres
atq; adeo imperatorem ipsum pro fidei publice date vio
latoribus ab isto traduci intollerabile putas, ita principes
Germani, vt quisq; generosissimus est, iniuriis tue digni
tati illatis vicissim non minus dolent, quam si illæ in suū
ipsorum caput incidissent. Sane quantum ad me p̄tinet,
iniuriarum tela quæ aduersum principem emittuntur, ea
non tam in vnus hominis personam, quam in ipsum prin
cipum oīm atq; adeo vniuersæ nobilitatis ordinē dirigi
existimauerim. Tātum abest, regum serenissime, vt non
si potuissem, libenter iniuriosi scripti editionem reprime
re voluerim. Porro non mediocriter, etiam animū meum
leuat, quod cum præ ceteris Germaniæ p̄ceribus in Lu
theri scriptis ac concionibus nunc aptus nunc obscurus
impetatur, accidat hoc mihi cōmune cum heroib⁹ alio qui
laudatissimis Carolo Cesare eius nominis quinto, in cu

c ij ius verba

ius verba iurasse gloriosum mihi duco, & Henrico octa-
uo potentissimo Anglorum rege, cum quibus equidem
maim vituperari, quã cum Lutherana colluie laudari.
Neq; em̄, quo minus probi Christianiq; principis offici-
um facere pergam, iste vllis vñ minis vel conuitiis effici-
et. Atq; vtinam probabile non esset, quod, ad Mahome-
ti Hussiq; exempla respiciens, metuendũ Regia existi-
mat celsitudo, ne si non pernitiõsæ segetis initiis adnota-
falce occurratur, postea malum robore accepto extirpa-
ri non possit, Sed vt illorum alter totam Asiam atq; adeo
bonam Europe partem, alter Bohemiam ab ecclesia ali-
enauit. Ita nuc Lutherus primum Germaniã populos,
mox & reliquas Occidentis nationes noua quadam tyrã-
nide per seditiones inuecta sic occupet vt postea depelli
non possit. Quanquã aut quid alii Germaniã principes
facturi sint, certo scire nequeam (Spero pfecto quemq;
pro se suo officio functurum) & incẽdium hoc late adeo
iam sparsum sit, vt exterorum etiam hoim animos corri-
puisse feratur, tamen non cõmittam, vt, quo minus eius
malĩ flamma restinguat, p me stetisse aliquis recte que-
ri possit. Nam cum Lutherus ipse in terris imperio meo
subiectis domicilium non habeat, eas quidem longe la-
teq; fugiat & extra meum territoriũ degat non licet mihi
quicq; in eũ statuere. Atqui hominis scripta perinde at-
q; nocentissimos hostes a ciuitatibus pariter & finib; me-
is, quacumq; ratione datur aberceo. Id quod diligenter
adeo persequor, vt cum nuper præter expectationẽ me-
am exiisset germanica illa Noui testamenti tralatio (cu-
ius epistola quoq; tua mentionem facit) eius libri exẽ-
plaria oia quotquot importata ac diuendita fuerãt, me-
a ipsius pecunia ab his, qui emerant, redimerem. Nĩmĩz
quod

quod iam tum animus hoc mihi dicitaret, & diligentior li-
brorum inspectio satis indicaret, ea gratia suscepta a Lu-
thero hunc vertendi laborē, vt hac arte vniuersam scrip-
turam suo cōmodo translata, ad dogmata sua confir-
manda detorqueret. Nam quia videbat fieri non posse,
vt absurda illa sua Paradoxa veterū Theologorū, a quo-
rum doctrina pariter & vita procul abest Lutherus, scī-
tis astrueret, scripturæ simplicitate aliquoties in alienum
atq; adeo repugnantē sensum flexibili ad eum modum
abuti instituit. Quod aut consilium calidius aptiusq; ad
simpliciorū animos captandos capere potuisset, quam vt
vniuersam noui instrumētī scripturam nouo genere tum
interpretationis tum annotationis in suum iudicium de-
flexam, velut hamum esca tectum vulgo porrigeret? Ali-
o qui aut nullis aut non nisi stupidissimis persuaderet, vt
bonorū ita et malorum necessitatē adeo pendere. Quod
dogma cum in Philosophis suis ethnici homines non to-
lerarint, nos Christiani quibus fidei doctrina clarior ve-
ritatis luce affulsit in Luthero amplectemur? Quod si se-
mel cum Luthero recipimus omnia euenire necessario,
iam sane omnis humanæ rationis vis, omne cōsilium, ius
deniq; omne, quo vel premium bonis vel penā malis de-
cernitur frustra esse comperientur. Nam quantū ego in-
telligo, hic est vberrimus Lutheranorū errorum fons, ni-
mirum prædestinatio ad Philosophorum quorundā fa-
tum male intellecta, vnde reliqua dogmata ceu riuī qui-
dam promanarunt, de arbitrio nullo, de ratione hominū
cæca, de bonorum operū neglectu, breuiter de abiicien-
dis omnibus tam cæremoniis quam aliis quæ humano cō-
silio sunt instituta: Quæ cū talia sint, vt vniuersam mun-
di rem publicam, nedum Germaniam nostram euertere

c iij possint

possint, & iam olim in Philosophis ac Vviclefficis sint dā
nata pariter & publica omniū detestatione explosa, re-
ctissime mones optime Rex, vt omni cura prohibeātur,
aut saltem intra Bohemiæ montes inclusa coerceantur.
Sed enim pudendum nobis esset, si cum maiores nostri
Vviclefficæ doctrinæ contagionem omni armorum gene-
re, atq; adeo fortunarū vitæq; sue periculo a subditis su-
is auertere gloriosum sibi duxerunt, nos, qui vt in illorū
imperium sic & virtutem succedere debemus, negligē-
tia nostra idem malum nunc repullulascere permittere-
mus. Præsertim cum sole meridiano clarius pateat, nihil
minus credibile esse quam quod isti iactant Christi spi-
ritu ad scribendū impulsū Lutherum. Quid em̄, neqd
in illum scribam durius, cōmune est spiritui Lutheranō
cum spiritu Christi? Christus mansuetudinē ac patienti-
am vbiq; prædicat, Lutherus, præter quam quod iracū-
diæ maledicētiæ & similiū affectuū modū ipse facit nul-
lum, & rebellionū seditiōnūq; semina in vulgus spargit.
Quāobrem non est quod sublimitas tua dubitet vel de
meo erga se studio syncerissimo, vel de perniciosæ facti-
onis huius cohibendæ sollicitudine. Nam & pro singula-
ri virtutum tuarum admiratione mea, proq; consanguini-
tatis antiquæ iute gratificari priuatim studebo, & que-
cunq; ad Christianæ ecclesiæ tranquillitatē pertinere vlt
ipse sensero, vel te tuicq; similibus monētib⁹ cognouero,
hæc oīa quo ad e⁹ fieri pōt, sedulo pcurare summa ope
connitar. Et vtcūq; res exeat, illud certe efficiam, vt si ali-
orum quam ad totius ecclesiæ vtilitatē euadant oīa, mi-
hi non tam voluntatē quam facultatē defuisse oēs intel-
ligant. **BENE VALEAT** Regia tua celsitudo Re-
gum mihi charissime, in Iesu Christo seruatore nostro, q
illam

illam a cunctis calamitatibus semper immunem & omni or-
namentorum genere cumulatissimam conseruet atque tueat,
Meque sibi habeat commendatum, Ex ciuitate nostra Que-
delnburg Septimo Idus May, a Christo nato Anno. M
D. xxiiij.

Tuus Georgius Dux Saxonie &c.


Lipſie excuſſit Vvolffgangus Monaceniſis.

Fig. 561 BK


(82223699)

M.D.









Ex. 201.
201, 28. VI



1523

III, 762

SERENISSIMI AC

POTENTISSIMI REGIS ANGLIE,

Christiane fidei defensoris inuictissimi,

ad illustrissimos ac clarissimos Saxo-

nie principes, de coercenda abi-

gendaq; Lutherana factio-

ne, & Luthero ipso

Epistola.

ITEM ILLUSTRISSIMI PRINCIPI

Ducis Georgii ad eundem Re-

gem rescriptio.

